

AQUILEGIA HOOKERI. n. sp.

Auctore VINC. DE BORBÁS.

«Caule gracili erecto, superne puberulo, 1—3-pedali»; foliis basalibus bi-aut triternatis, foliolis obovato-cuneatis, «obtuse 3—5 fidis, ∞ lobulatis, floribus 1—2 poll. diam., latericiis vel rubris», latitudine longioribus; sepalis lanceolatis, acuminatis intus petalisque aureis, extus latericiis, horizontaliter distantibus, «petalorum limbo sepalis dimidio brevior, orbiculari vel late obovato-orbiculari, apicibus rotundatis vel apiculatis, marginibus recurvis», calcaribus rectis, gracillimis, fere filiformibus, elongatis limbo multo (5—6-plo) longioribus, rubris, apice mediocriter divergentibus; filamentis longe exsertis, longitudinis diversæ, exterioribus quam interiora brevioribus, posterioribus limbo petalorum 2—3-plo longioribus, antheris oblongis flavis; stylis longitudinem staminum longiorum adæquantibus; folliculis pilosis, longistylis.

Icon: Botan. Magaz. 1881. tab. 6552! sub *Aq. formosa* Hook., non Fisch.

Exsicc. nulla.

Synon. *Aq. formosa* Hook. Bot. Mag. l. c.

Habitat in America boreali: «Rocky Mountains et California». (Hook. l. c.)

Floret in horto regio Londini Jul. et Aug. (Hook. l. c.)

Aquilegia supra breviter descripta et l. c. depicta *Aq. formosae* Fisch. quidem affinis est, — ab ea tamen longe diversam esse quisquis facile intelligere potest, qui iconem Hookerianam cum illis in «Belg. Hortic.» IV. Jul. fig. 1., «Flore des Serres» t. 795 et in «Gartenflora» 1883 p. 372 editis et cum exemplari *Aq. formosae* authentico convenientibus comparare vellet.

Aq. Hookeri differt ab *Aq. formosa* Fisch. foliolorum lacinulis non sublineari-elongatulis, floribus multo longioribus, (a calcarium apice ad stamina $6\frac{c}{m}$ lg., circiter $4\frac{c}{m}$ lt.) calcaribus non femuriformi ampliatis ut in *Aq. formosa* vera, sed filiformi-elongatis, multo longioribus, $35-40\frac{m}{m}$ lg. Flores *Aq. formosae* fere æquilongi sunt ac lati, aut sepalis patentissimis

longitudine paulo latiores; illi vero *Aquilegiae Hookeri* mihi latitudine semper longiores. Sepala *Aq. Hookeri* breviora (circa $2\frac{1}{m}$), longitudinem staminum interiorum longissimorumque non æquantia, ut illa *Aq. formosae*; lamina prioris orbicularis, apice distinctissime rotundata, non truncata, emarginata aut acutiuscula ut illa *Aq. formosae*, ita ut *Aq. Hookeri* petalorum calcariumque forma non «*Canadensibus*» sed «*Permacroceratibus*» adscribenda sit.

Notæ hic adlatæ ad speciem utramque specificè separandam sufficientissimæ sunt. Communia sunt sine dubio utrique habitus, foliorum forma in universum, florum color, stamina exserta etc.

Mihi *Aq. Hookeri* probabilius media inter «*Canadenses*» (*Aq. Canadensem*, *A. truncatam*, aut *Aq. formosam*?) et *Aq. flavam* (Gray), (*Aq. chrysantham ej.*) esse videtur, tamen eam progeniem esse earum hybridam asserere nolo.

Folia, color floris, sepala limbum excedentia, limbus abbreviatus, (vix $1\frac{1}{m}$ lg., circiter totidem lt.), stamina longe exserta *Aquilegiae Hookeri* sine dubio speciei cuidam «*Canadensium*» communia sunt, — florum vero habitum, limbum rotundatum, calcaria elongata ab *Aq. flava* habet.

A speciebus «*Canadensium*» differt *Aq. Hookeri* sepalis intus aureis, limbo orbiculari, calcaribus multo longioribus, fere filiformibus — ab *Aq. flava* autem floribus bicoloribus latericiis aureisque, lamina petalorum abbreviata, sepalis maioribus (circa $2\frac{1}{m}$ lg.) extus rubris, calcaribus elongatis quidem ($35-40\frac{m}{m}$ lg., dum limbus vix $1\frac{1}{m}$ lg. esse videatur), tamen illis *Aq. flavae* brevioribus, staminibus longissime (usque $2\frac{1}{m}$) exsertis.

Calcar «breve» diagnoseos Hookerianæ falsum simpliciter omisi.

Aquilegiam hanc pulcherrimam in honorem *J. D. Hookeri*, directoris horti botan. Kewensis dicavimus.